

tiam mouent nos multa. Et primò exhortationes scripturæ sacræ. unde Roman. decimotertio. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Item Ephes. sexto, Serui obedite dominis uestris carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis uestri. vnde sicut Christo non ad oculum seruientes quasi hominibus: sed ut serui Christi facientes uoluntatem Dei ex animo cum bona uoluntate seruientes sicut domino, & non sicut hominibus scientes unusquisque quodecunque fecerit bonum hoc percipiat a Domino siue seruus, siue liber. Item Colos. tertio. Serui obedite per omnia dominis uestris carnalibus non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes: sed in simplicitate cordis timentes Deum. Item ad Thym. tertio. Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse. Item primus Petrus secundus. Subiecti estote omni creaturæ humanæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus quasi ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem uero bonorum. Item in eodem. Serui subditi estote in omni timore dominis uestris: non tantum bonis & modestis, sed etiam discoloris. Item Hebr. decimotertio. Obedite præpositis uestris, & subiaceate eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus uestris. Item Ephes. sexto. Filij obedite parentibus uestris in domino. Secundo ad obedientiam mouent nos infensibilium creaturarum exempla, quæ uniuersaliter obediunt suo conditori. Vnde psalm. uniuersaliter de omni creatura infensibili dicit. Ipse dixit & facta sunt omnia, mandauit & creata sunt uniuersa, statuit ea æternum & in seculum sæculi, præceptum posuit & non præteribit. Item Baruch. 4. Stellæ uocantur iunctæ & dixerunt, ecce assumus. Item Math. 8. Veni & mare obediuit ei. vnde psalm. Terminum posuisti quem non transgrediantur. Item Linco. super euangelia, parte. j. cap. trigesimo secundo. Sol, inquit, a semita sua non deuiat, luna a suo transe

non aberrat, stellæ suis indulgent officiis ad nutum Dei. Campus floribus amenatur, imbribus irrigatur, frondibus crispatur, siluæ in nemore cytharizat auicula, & Deo obediunt cunctæ, tu solus homo impugnus Dei præcepta. Quod considerans beatus Ambrosius in suo exameron ait. Non mediocris pudor est, imperio Dei infensibilia elementa parere, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tribuitur auctore. hæc ille. Item beatus Grego. O homo, inquit, si Christi considerares obedientiam tuam deponeres contumaciam: sicut supra in quinto motiuo conferente ad detestationem inobedientiæ patet. Tertio ad obedientiam mouent nos exempla sæctorum. Et primò mouemur ad obedientiam triplici exemplo illius sanctissimi patriarchæ Abraham, scilicet de deiectione patriæ, de circumcisione, & de filij sui uoluntaria imolatione. De primo legitur Gen. decimo secundo, quò Dominus dixit ad Abraham. Egrede de terra tua & de cognatione tua, de domo patris tui, & ueni in terram quam monstrauero tibi. Abraham uero humiliter obediens præcepto Dei. Vnde subditur. Egressus est itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus. Magna enim erat Abrahamæ obedientia, qui ad præceptum Dei reliquit domum patris sui, terram suæ natiuitatis, amicos, natos & cognatos, & iuit ad manendum inter alienigenas in terra sibi incognita. In isto enim exemplo habemus, quòd ad perfectionem pertinet hominem paratum esse renuciare omnia transitoria huius mundi propter amorem Iesu Christi. Vnde Luc. decimo quarto dicit Christus. Qui non renuciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Item Luc. 9. Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum. Vnde Isido. in de sum. bono, lib. tertio, canone. 18. Ad perfectionem, inquit, non sufficit nisi abnegatis omnibus suis, & seipsum quicquid abneget. Sed quid est seipsum abnegare, nisi uoluntatibus propriis renuciare: ut qui superbus erat, si humilis, qui iracundus